…RVM ATQVE SVECORVM REGI
SEMPER INVICTO, SEMPER AVGVSTO,
PVBLICÆ REI STATORI, VINDICI,
ATQVE CVSTODI, DEBELLATORI HOSTIVM FORTI
ac Felici, Liberatori ac Seruatori Ciuium,
Patri Patriæ, Pacis perpetuæ Fundatori.

FAcessat magnæ Fortunæ malum adulatio;
Nam
Et libertas, vocem in seruile obsequium flectere non sinit;
Et Regia Tua virtus, illud iam gloriæ fastigium tenet,
Quod ab adulantium ingeniis attingi non potest.
Securè Te Ciues Tui laudare possunt,
Quibus Exteri, ac Hostes exemplo præiuere,
Hærent adhuc relegendis magnarum Virtutum vestigiis,
Quibuscunque sideris Tui splendor, vel in decursu illuxit;
Alemani Fortitudinem,
Roma Pietatem,
Humanitatem Belgæ,
Animi magnitudinem Veneti suspiciunt.
Omnes sua vota atque omina quibus tum Te sceptris admouebant,
Diuinitus approbata esse lætantur.
Moschus ipse, ac Turca, quibus Te Poloni votis ambirent, docuit,
Quorum
Alter Hostiles semper Polono nomini animos, Tibi cum imperio submisit:
Alter cum Asiam pene totam atque Europæ partem secum traxisset,
In Tuæ Fortitudinis adorationem capite imminutus cecidit,
Atque
Cæteris, quorum ipse Maximus erat, exemplo præiuit.
His cum Orbe toto suffragantibus,
Continuis bellorum motibus quassatam Rempublicam,
Vt
Ei tranquillitatem redderes, suscepisti.
Vix sceptrum contigeras, cùm capulum arripuisti
Cælesti par fulmini in Hostium castra decidisti,
Tuos arctissima obsidione liberasti,
Exigua manu ingentes Moschorum copias,
Externis viribus ac ingeniis auctas obsedisti, vicisti.
Interfecisses,
Nisi parcere, vt iterum vinceres, maluisses;
Quorum enim Corpora iam potestate subiugaueras,
Animos, (cum vitam dares) Clementia expugnasti.
Experti vtramque Virtutem Hostes,
Tibi,
Regnoque Tuo Seueriam integram iure perpetuo tradiderunt.
Maiora, vt pœnas violati fœderis ab imperio deprecarentur tradituri,
Nisi
Tuo Diues, ac Magnus, Victoriæ mercedem, gloriam putares,
Et ad ampliores de Orbis Tyranno triumphos,
Victorem exercitum promoueres.

Sed,
Cladem ille Osmani cogitans, cum Te aduentare intellexisset,
Terrore ac Fama Nominis Tui deuictus,
Armorum consilium abiecit,
Fastum submisit, belli suasores neci dedit,
Pacem
(Cuius leges Tuo arbitrio scriberes) supplex orauit.
Haud sane mundi ille terror,
Qui tot Regum palmas infregit,
Ad petendas se pacis leges abiecisset;
Nisi
Plures Tibi Imperatores, quam Sylla olim
Cæsari Marios, inesse credidisset.
Non
Erat promptum audacibus alioquin Suecorum animis,
Et tot prosperæ sortis successibus elatis,
Formidandam tantis Principibus Fortitudinem lacessere
Pacem amplissima Prouincia vltro reddita obtinuerunt;
Quam
Tu equidem non vt illis consuleres,
Sed vt nostram felicitatem vndique tranquillitate impleres;
Concessisti.
Inuictos Tibi nos reddidisse parum erat,
Nisi securos præstitisses;
Bella vndique submouisse, infra gloriam putasti;
Nisi metum bellorum pariter sustulisses.
Iam
Nec Hostem, nec Militem timemus,
Ignota Maioribus nostris pacis beatitudine recreamur,
Nullius Mater, nullius Vxor metu, aut desiderio torquetur,
Securi omnes, Literarum palæstras, pietatis gymnasia,
Iustitiæ Tribunalia frequentamus.
Quid
Ad postremum felicitatis apicem desiderari potest?
Nisi vt tantorum Author munerum, Custos sis atque Seruator:
Ciues Tuos, legibus atque exemplis instituas,
Hostes authoritate contineas,
Exteros famâ concilies,
Omnibus magnitudine & felicitate antecellas,
Diu
Polonus, Lithuanusque Populus, Te Principe,
Felix, atque Beatus, suam in ipso fonte adoret
Beatitatem.

VILNÆ Typis Academicis Societatis JESV. Anno Domini M. DC. XXXVI.

